


1542. id est 17. Novembris.

Sigismundus I. Rex Poloniae;
Michaeli Usseraw.

136

Magnifice sincere nobis dilecte,
Qua fide sit sinceritas tua, quo stu-
dio et observantia erga Serenissimam
filiam nostram, ex his, quae verbis
majestatis ejus nobis noster nuntius
retulit, abundè cognovimus. Fuitque
nobis id cognoscere vehementer gratum.
Dabitur a nobis opera, ut eam obse-
quiorum et officiorum, quae prestat
Serenissima filia nostra minime pe-
niteat, verum ex hac virtute con-
stantiaque sua solidam, quandoque
voluptatem capiat, gratosque vos
esse, et memores meritorum suorum
cognoscat. Quod nos fideliter admo-
net Serenitas tua, ut Serenissima
filia nostra succurramus, et ratio-
nem, qua id faciendum putet perseri-
bit, id nos in optimam partem ac-
cipimus. Si quid profici nobis posse
crederemus, magis insignibus legatis
mittendis non gravatim id faceremus.
Verum et haec ratio cum tentata
a nobis esset, parum nobis felici-
ter successit. Misimus enim Bu-
dam satis insignem virum unum
ex regni nostri proceribus, et
primarijs Consularijs magnificum

Andream


Andream Comitem, a Gorka Castella:
num Posnaniensem et Capitaneum ma:
joris Poloniae generalem, quid profectum
fuerit, non ignorat proculdubio sinceritas
tua. Nos neque sumptibus, neque labori:
bus ullis parceremus, Dummodò Serenis:
sime filiae nostrae rationibus succurre:
re possimus. Et si via nobis et ratio
aliqua indicaretur, lubentes eam am:
plecteremur. Sed quoniam longiore
sumus locorum intervallo Disjuncti,
a sinceritate tua postulamus, ut
ipsa interea, qua cepit esse fide erga
serenissimam filiam nostram pergat,
Quae in illam officia sua collocaverit,
ea nos gratia regia referre conabi:
mur. Quae bene valeat. Datum Cra:
covie. 8. 17. mensis Jbris. A^o Dⁿⁱ 1542. 19